



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE INFIRMA MUNDI MENERABILI SERVAE DEI GENOVEFAE TORRES MORALES**

**BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. – «Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia» (1 Cor 1, 27). Dominus qui exaltat humiles et esurientes implet bonis (cfr Lc 1, 52-53) benignis oculis suis persecutus est dilectionisque suae thesauris ditavit Genovefam Torres Morales, mulierem litterarum expertem et quidem adversa valetudine affectam, cui munus commisit caritatis et sanctitatis Christi testimonium in terra Hispanica reddendi. Haec humilis Dei Serva die III mensis Ianuarii, anno MDCCCLXX ortum habuit in oppido Almenara, in dioecesi Segobricensi-Castellionensi. A prima aetate in paupertatis et indelebilis anxietatis condicione versabatur ob immaturam genitorum, quattuor fratrum et sororum mortem. Octavum aetatis annum agens, una cum fratre maiore rerum domesticarum suscepit curam, quae sane eius infirmas vires exsuperabat. Mox vitae asperitas a quacumque lusione et delectatione eam distraxit, immo festinanter ab omni humanae vanitatis affectu abhorreere coepit, dum amore flagrabat in Deum, in Mariam Virginem et exercitia pietatis. Aerumnae multae et incommoda saevierunt in eam, quae tamen mitem, benignam iocundamque indolem suam custodire potuit. Cum tredecim annos ageret, tumore quodam est correpta atque sinistri cruris amputationem ita indiligenter subiit, ut vulnus numquam ad cicatricem perveniret. Usque ad extremum suae terrenae existientiae baculo innisa ambulare debuit. Providentiae consilio obsequens, Valentiam petivit, in Domum Misericordiae, cuius curam gerunt Sorores Carmelitides a Caritate. Inibi novem annos in pace et labore vitam duxit simulque sive in agnitione Dei sive in exercitio virtutum plurimum est progressa; nihilominus frustra petivit ut excipi posset apud illam Congregationem a qua tot beneficiis donata erat. In saeculum regressa est consilium suscipiens aliquid boni pro Deo atque pro proximo faciendi. Etenim se sociavit cum duabus mulieribus quae senioribus mulieribus assistentiam dabant. Die II mensis Februarii anno MCMXI condidit «Congregationem Sororum a Sacro Corde et a Sanctis Angelis», quae vulgo «Angélicas» appellantur, quaeque moralem et humanam vigilantiam mulieribus solis praestant. Prudentia, animi firmitate et materna caritate promovit solidationem et provectionem Operis a se fundati, quod Archiepiscopus Caesaraugustanus anno MCMXXV ratum habuit. Eodem anno Serva Dei vota religiosa nuncupavit et Superiorissae Generalis munus sumpsit, idque prudentia animique magnitudine usque ad annum MCMLIV est exsecuta. Sororum suarum institutionem tam consilio quam vitae exemplo assidue curavit, constanter incensa amore Crucis et Eucharistiae, caritate, humilitate atque perfecta votorum religiosorum Regulaeque observantia. Fervens exstitit in oratione et cultu erga Cor Iesu, Matrem Dei nec non Sanctos Angelos; fiduciam in Providentia iugiter nutrit; cor suum mundum custodivit ac liberum a quolibet rerum terrenarum affectu et ab huius mundi illecebris; proximum dilexit eique animo aequo inserviit et multifariam contulit ad animarum salutem; patiens fuit in tribulatione, pertinax in difficultatibus, misericors in eos qui obstaculis adversisque rebus ei adversabantur. Postquam a munere cessavit Superiorissae Generalis, uti quaelibet se gessit soror, oboediens et laeta in abscondita vita. Brevi consumpta morbo, die V mensis Ianuarii anno MCMLVI ad aeternum transiit regnum, ad quod inde a iuventute diligenter se paraverat. Sanctitatis fama,

qua Dei Serva in vita refulsit, post mortem increbuit, quapropter Archiepiscopus Caesaraugustanus anno MCMLXXVI Causam incohavit beatificationis et canonizationis. Servatis de iure servandis, Nosmet Ipsi die XXII mensis Ianuarii anno MCMXCI decreto ediximus Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque annexas heroum in modum exercuisse. Interea, anno MCMLXXXIII, Matriti quaedam curatio mira est facta quae intercessioni eiusdem Servae Dei Genovefae Torres Morales est tributa. De hoc miro casu annis MCMXC-MCMXCI processus canonicus rite est instructus. Persolutis suetis inquisitionibus medicis et theologicis, Nobis coram, die II mensis Iulii anno MCMXCIV, promulgatum est decretum super miraculo. Quapropter statuimus ut ritus beatificationis die XXIX mensis Ianuarii sequenti anno celebraretur. Hodie igitur in Basilica Petriana inter Missarum sollemnia formulam hanc protulimus: Nos, vota Fratrum Nostrorum Sergii Obeso Rivera, Archiepiscopi Ialalpensis, Michaelis cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Eliae Yanes Alvarez, Archiepiscopi Caesaraugustani, et Angeli Cella, Episcopi Frusinatensis-Verulani-Ferentini, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Raphael Guizar Valencia, Modestinus a Iesu et Maria, *Genovefa Torres Morales* et Grimoaldus a Purificatione Santamaria Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Raphaelis Guizar Valencia die vicesima quarta Octobris; Modestini a Iesu et Maria die vicesima quarta Iulii; *Genovefae Torres Morales* die quarta Ianuarii; et Grimoaldi a Purificatione Santamaria die decima octava Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque deinceps esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus, dum certissime futurum esse confidimus ut talis honor talisque simul cultus ab Ecclesia Matre huic ipsi concessus caeliti Beatae plurimum posthac universos quidem christifideles ad imitationem incitet eius quo uberiores ideo spiritales percipere valeant fructus et Christi Domini causam Evangelii inter homines certius defendere ac vehere. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Ianuarii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana